

102

I. N. J.

DEUM
SIMPLICISSI-
MUM

Publico Eruditorum Examine

sistunt

PRÆSES

M. JOANNES *Dünnehaupt*
Qvedlimburg Saxo P. L. C.

& Alumn. Elector,

ATQUE

RESPONDENS

MARTINUS *Sinckel*

Chemn. Misnicus,

Philosoph. & SS. Theol. Studios.

Habeb. ad d. 10. Novembr. An. 1686. hor. mat.

IN AUDITORIO MINORI.




WITTENBERGÆ,

Literis JOHANNIS WILCKII.

VIRIS
Maximè Reverendis, Amplissimis atq; Excellen-
tissimis

DOMINIS
DN. JOHANNI WOLFFIO,
SS. Th. Doct. celeberr. atq; Comitatus Wernigerod.
Superintendenti Vigilantissimo,

Nec non

DN. HENRICO öpfer/
SS. Th. Licent. ILLUSTRISS. COMITIS ac DN.
DN. ERNESTI Com. Stolberg. Concionato-
ri Aulico Famigeratissimo,

DNN. Mecenatibus, studiorumq; suorum Promotoribus
perpetuo observantiae cultu prosequendis

* * *

Hoc exercitium sincero pectore confert
Præses, quem pietas solvere plura jubet.
Plura feret, *Vestro si sint hæc grata Favori,*
Ut se commendet de meliore nota,
Excipite hinc animis, quæ fert submissa Camena,
Affectusq; simul semper habete pios

Erga

Nomin: Vestror:

Cultorem æternum

M. JOH. Dünnehaupt.



IN NOMINE JESU!

PROOEMIUM.



Multa ac varia cogitanti mihi, quid publicæ luci exhibeam atque ventilandum suscipiam, Nobilissimi Spiritus attributum non ignobile mihi sese offert, ut uberiori sobriè placideq; Philosophorum disquisitioni subjiciatur. Quoniam verò diffitendum mihi non est, ea, quæ à sensibus remotiora sunt, (quibus & annumerari Deum, nemo dubitabit,) difficiliora esse, atque adeo sedulæ & solidæ indagationis indigere, ita non possum, quin Sapientissimi Poëtæ *Simonidis*, responsum addam. Interrogatus hic Poëta ab Hierone Tyranno, quid, aut qualis esset Deus? Petivit, ut unum deliberationi huic diem destinare concederetur. Quo præterlapso, opus adhuc biduo esse censuit. Duplicato autem sæpius dierum numero, Hiero in admirationem tractus est Poëta, quid faceret, quæsit? Respondit ille: *Quantò diutius rem considero, tantò mihi videtur obscurior.* Vid. *Polyd. Vergil. de Rer. Invent. L. I. c. 1. de Deor. Origine.* Quo effato sapientissimo Regem edocere voluit Poëta, vix quicquam cognitionis difficultate Numinis Divini naturam excedere, eò, quod sensus maximè fugit. De Attributis Divinis, si accuratiùs inspiciantur, vix alia feretur sententia, cum ex Essentiæ cognitione illa permanent. Illa tamen obscuritas ab instituto nos minimè deter-

rebit, quando animus est, DEUM in Attribute quodam sc:
SIMPLICITATE proponere, eamq; prout virium imbecilli-
tas permiserit, defendere; Eò autem modo erit progredien-
dum, ut præmissam Sectionem Didacticam altera excipiat Po-
lemica. Tu verò

*Simplicitate carens omni mihi Spiritus adsis,
Pectora & erudias simpliciora bene.*

*Quò tua Simplicitas magno excipiatur honore,
Ac ego Te verà simplicitate colam.*

SECTIO DIDACTICA. PRÆCEPTUM.

Deus est Spiritus Simplificissimus.

§ I.

PRæcepti hujus subjectum multis indagare, supervacua-
neum esse, censeo, siquidem jamdudum Sanctissimi Nu-
minis Existentia contra Atheos evicta est, quibus autem
Existentia Dei in dubium vocatur, consulant Excellentiss. no-
strum *Donati*, disput. de Existentia Dei. *Scharff*. Pneum. L. II. c.
2. p. 64. *Jacob Martini* Exerc. Met. L. II. Exerc. IV. Theor. I.
p. m. 629. seqq. *Klotzium* Disp. III. Pneum. p. 74. seqq. *Meierum*
Pneum. Part. Spec. L. I. c. i. Ax. I. p. m. 264. A quibus Existentia
Dei solidis rationibus probatur. Nos misis hisce ipsum præ-
ceptum intuebimur, ejus *ὀνομαστικὴν* & *πραγματικὴν* evo-
luturi. *Illa Etymologiam, Homonymiam atque Synonymiam*
exhibet, proinde aggredimur

§ II.

§. II.

i. *Etymologiam*. Circa hanc varia variorum Autorum occurrunt sententiæ, cum hodierni Philologi masculè adhuc inter se certent de fonte, cui nomen *DEUS* originem debeat. *Alii ex Latino; Alii è Græco, alii ex Hebræo* fonte derivant: *Primam* sententiam *Festus* suscipit, & vocabulum *Deus* à *Dando* deducit, eâ de causa, quod tanquam fons & origo omnium bonorum hominibus non esse tantum, sed omnia pariter bona dat atque communicat, unde Germanis non ineptè dicitur *Gott* quasi *Gut* / quia summum est bonum, ac omnis bonitatis unica causa. *Secundæ* sententiæ addicti vocem *DEUS* ortam dicunt ex *Θεός*, quo Græci Deum nominabant, literâ aspiratâ cum tenui permutatâ. *Qui autem tertiæ* classis nomina dant, ex Hebræo fonte deducunt, ac pro fundamento habent radicem *דאי* *Dai*, quod idem est, ac sufficientia, cum Deus omnis abundantia genere prorsus abundet. Vid. *Christian. Beckmann*. de O.O.LL. sub voce *Deus*, p. m. 397. In quibus quidem Etymologiis media nobis seu verior, arridet; undecunq; demum Græcum *Θεός* sit deductum. Quamquam tamen à rationis tramite non discedit, qui primitivam dixerit, non enim opus est, ut omnium vocabulorum extent origines. Vid. *B. Dn. D. Calovius*. Syst. Theol. Tom. II. p. 125. *Venerandus noster Deutschmannus* in notis Anal. Exeg. ad Comp. *Hutteri* L. II. qv. 2. n. 2. p. 196. *Klotzius* Disp. IV. Pneum. à pag. 110. usq; ad 116. num. 8 &c.

§. III.

2. *Etymologiam* excipit *Homonymia*, quâ vocabulum *Deus* varias pariter ac multas significationes subit. Nos

A 3

hoc

hoc loco tres cum accuratioribus evolvementur acceptio-
 nes. (1.) Vox Dei sumitur *καταχρηστικῶς, κατὰ ψεῦδος*, ab-
 usivè, secundùm mendacium, pro Deo *Φαινόμενω*, pro ido-
 lis ac imaginibus, pro Diis Gentilium à Christi doctrina
 alienorum. Quorum Deorum *Φαινόμενων* in S. Codice
 frequens fit mentio. Ita Deus Vini ab Ethnicis consti-
 tutus est Bacchus. Vid. *Corvini-Lexic. Part. II. p. m. 40. Mu-*
sarum, Medicinæ &c. Deum fecerunt Apollinem &c. Vid.
Fabri Thesaur. sub voce Apollo. Huc illi quoque referun-
 tur, qui Deorum venerationem sitiunt, Dii autem reverà
 non sunt. Cujus farinae fuit *Caligula*, de quo vid. *Suetonius*
in eod. c. 22. p. m. 240. (II.) *Impropriam, metaphoricam*
ac nuncupativam suscipit significationem, quæ sumitur
 vel *κατὰ χόρον*, atq; ita tribuitur (1.) Angelis, Pl. XCVII.
 7. (2) Hominibus, Pl. XXCII. 6. ubi Judices Dii appellan-
 tur. Adscribitur etiam iis nomen Dii, qui circa officia Di-
 vinitus sibi commissa obeunt munia. A profanis etiam
 illi nomine hoc Divino insigniuntur, qui bonorum ani-
 mi pariter ac fortunæ abundantia præ cæteris eminent;
 quemadmodum Philosophorum Princeps Aristoteles
 L. I. Pol. c. 2. & L. VII. Eth. c. 1. virtutibus eminentissimis in-
 structos prædicato hoc beat. vel *κατ' εὐλογίαν*, quâ ratio-
 ne Adulatores Superioribus prædicatum hoc adscribere
 assueverunt. Sicuti facile cæteris Domitiani adulatoribus
 palmam præripit, *Martialis*, quando L. IX. Epigr. p. 252.
 Domitiano sic abblanditur:

Ad cœnam si me diversa vocaret ad astra
Hinc invitator Caesaris, inde Jovis.

Astra

*Astra licet propius, palatia longius essent,
Responsa ad Superos hac referenda darem:
Querite, qui malit fieri conviva Tonantis,
Me meus in terris Juppiter ipse beat.*

(III) Significatio propria, essentialis ac verissima se habet, quæ Θεὸν ἀληθινόν in infinita sua ac independente essentia, Deum Φύσει Galat. IV. 8. exhibet, atque hæc ad nostram facit institutum. Vide Auctores supra citatos.

§. IV.

3. *Synonymia* scrutinia investigando bene multa Divini Numinis inveniemus nomina, quæ ex Hebræo ac Græco nec non Latino-textu proferuntur. Constat nempe in *Hebræa* præcipua esse *Jehovah*, & *Elohim* &c. in Græcis vero Θεός, atque αὐτός, quibus accedunt apud Aristotelem *αἰτία*. L. 12. *Metaph.* c. 6. 7. 8. *πρώτη καὶ ἀρχαιογενὴς αἰτία*. Prima & princeps causa. *ibid.* c. 8. *αἰτιὸν ἢ ἀρχὴ* L. 1 *Met.* c. 2. *κινῆν τῶν πάντων* primum movens. L. II. *Phys.* c. 6. *Σωτήρ* conservator Lib. de mundo. *ἰσχυρότατος*, potentissimus, *ibid.* *ἀίδιος* æternus L. 12. *Met.* c. 6. 7. *ἀφθαρτός*, incorruptibilis, L. II. de Cælo, *ἀκίνητος* immobilis, L. 12. *Met.* c. 8. *ἀπιθανός*, impossibilis *ibid.* c. 7. *Latina* sunt, cum dicitur Numen, Dominus, quia cuncta imperio absolutissimo gubernat. *Ens* entiam, quia omnia transcendit, vide Auctores modo citatos.

§. V.

Clausis jam ὀνομαστικῆς terminis ad πραγματικῆς γὰρ transgredimur, quæ ipsam descriptionem exhibet, in
quæ

quã *Contrahibilis*, æquè ac *Contrahens-conceptus* est enu-
cleandus. *Contrahibilem* exhibet *Spiritus*, DEUM verò es-
se Spiritum, probat ipsa *Spiritus* descriptio; Sicut igitur
definitio convertitur cum suo definito, ita & descriptio
cum descripto. Argumentum igitur tale est: Q. verã Spi-
ritus descriptione gaudet, illud audit Spiritus.
Atqui Deus &c, E.

§. VI.

Conceptus Contrahens in eo consistit, quando *Sim-
plicitissimus* nuncupatur. Terminus autem hic ritè di-
stingvendus est, ut pura significatio Deo optimè conve-
niens eruatur. Sumitur verò *Simplicitatis* vocabulum
vel *in sensu Morali* vel etiam *Metaphysico sive Entitativo*,
cujus distinctionis utraqve pars subdivisiones admittit.
(1.) *Moralis* enim vel est *vitiosa*, quæ contrarias prudentiæ
partes tuetur, cum homo prudentiã vacuus dicitur Sim-
plex, quemadmodum in Sacro Codice quandoque fieri
solet, vel etiam est *virtuosa*, quæ partes versutiæ oppositas
sustinet, hominique ingenuo, dolosi fallaciarum fuei
prorsus experti & antiqui candoris ornatu instructo
competit. Cujus *Simplicitatis* fructus exponit D. Chry-
sostomus Homil. 15. in Epist. ad Ephes. his verbis? *Annon
videmus, nunc quoque simplices & non fictos communem
honorem assequi ab omnibus? Nemo ei, qui est hujusmodi,
invidet, si rectè suas res gerat: Nemo ei insultat, si sint res
ei adversæ, sed, si sint res ei secundæ, gratulantur, & si lapsus
sit, misereantur: Vide Langii Florilegium sub voce Sim-
plicitas.*

§. VII.

II. *Metaphysica* sive *Entitativa Simplicitas* dicitur, quæ compositionem ex pluribus resultantem respicit. Est autem ea vel *absoluta*, quæ soli DEO propria, vel *comparata*, quam possident Angeli. Præterea necesse erit, ut ante *compositio* rectâ rationis lance ponderetur, quâ prorsus removeatur. Est igitur *compositio* alia *realis* alia *rationis*. ILLA iterum duplex, vel enim est (1) *METAPHYSICA*, quæ oritur partim ex *subjecto* & *accidente*, quomodo componitur e.g. Homo singulari eruditione instructus; partim ex *accidente* & *accidente*, quâ ratione dicitur aliquis Philosophus & Theologus, partim ex *natura* & *supposito*, cum Suppositalitas naturæ superadditur, atque tum inter se uniuntur. Videatur *Klotzius* pag. 403. seqq. (2) *PHYSICA*, quæ concrevit vel ex *partibus essentialibus*, materiâ sc. & forma, vel *quantitativis*, *integralibus*, quales sunt in homine caput, manus, pedes &c. HÆC sc. *rationis compositio* est vel *Logica*, quæ ex Genere & differentia coalescit, vel est *inter essentiam Dei ejusque attributa*, quæ partim ab Essentia p. à se invicem distinguuntur, non materialiter & ratione sui considerata, hoc enim modo ipsam involvunt essentiam, sed formaliter & ratione nostri intellectus, cuilibet attributo peculiariter aliquem conceptum adscribentis, ut ad eorum notitiam eò propius accedat. Vid. *Venerandus noster Deutschmann*. Theol. Pos. Pol. disp. 3. Tract. II. th. 4. Quæ postrema acceptio citra ullam imperfectionis illationem DEO tribus potest, non enim in re ipsa fundatur, sed à ratione dependet: Quicquid enim in Dei essentia est, aut esse dicitur, id nihil aliud est, quàm ipsamet tota, integra & in-

& individua DEi essentia: Vide *Jacob. Martini* L. II. Exerc: Met: Exerc: IV. Theor. 15. p. m. 838. Attributa Dei sunt ipsa essentia, per plures inadæquatos conceptus nobis repræsentata, inquit venerandus Presbyter, *Qvenstedius* noster Syft. Theol. Parte I. c. 8. Sect. 11. Observ. 7. pag. 300.

§. IIX.

Variis autem modis summa & absoluta Dei *Simpli-
citas* stabiliri potest, & quidem (1) *Esomma ejus unitate*,
quam proximè excipit Simplicitas summa, siquidem vix
a quopiam in dubium vocabitur, quòd, quò magis aliquid
à multitudine, compositione, recedit, eò propius ad uni-
tatem id sese conferat, & consequenter; quò magis quic-
quam ad unitatem accedit, eò majore gaudet Simplicita-
te. Jam vero Deus non limitatam, non in certo genere
consideratam, sed summam potius ac absolutam possi-
det unitatem, unde ultrò fluit Simplicitas. (2) *Esommæ*
unitatis consequente necessario nempe *indivisibilitate*.
Stante autem hac, illæsa manebit Simplicitas. (3) *Esomma*
DEi independentiâ, si enim Deo Simplicitate exuto infe-
rant adversarii compositionem, dependentiæ eum subji-
ciant, necesse est, quoniam compositum tam partes to-
tum constituentes, quam Autorem agnoscit componen-
tem, quicquid igitur assumseris, dependentem facies DE-
um, si prius, veritate munitum est, partes naturâ toto pri-
ores esse; Si posterius, habes causam causato priorem,
compositum verò esse causatum, quis dubitaverit? (4)
A primi principii conditione, cujus requisitum est, nullum
se prius admittere; Si autem DEo compositionem intu-
leris,

leris, aliud principium omnium primo hoc prius exco-
 gitari oportet, quod veritati rationique repugnat. (5) *Ex*
eternitate, quæ omnis pariter exspirat compositio, nam
 æterna quæ sunt, nec prius nec posterius agnoscunt, quæ
 tamen in compositione maximè reperiuntur, cum omne
 compositum componente sit posterius. (6) *Et summâ per-*
fectione, si enim hæc concedatur, veluti de jure concedi
 debet, Simplicitas ceu hujus comes perpetua negari
 nec potest nec debet. Quemadmodum enim imper-
 fectio compositionis est, ita perfectio Simplicitatis. Plura
 vide ap. Magnif; nostrum *Qvenstedium Syst. Theol.*
Part. I. c. 8. Sect. II. Quæst. 5. p. 308. Brochmandum Syst.
Theol. Tomo I. Artic. III. c. III. Quæst. 2. p. m. 122. seq.
Venerandum nostrum Deutschmannum l. c. §. præceden-
ti. thes. II. & 18. nec non in Notis ad Compend; Hutteri.
L. II. p. 202. Scharff. L. II. Pneum. c. 2. p. m. 81. Jac. Mar-
tini Exerc. Met. L. II. Exerc. IV. Theor. 15. p. m. 834. Klot-
zium Pneum. disp. VII. p. 395. seqq. Meyerum Pneum.
Part. Spec. L. I. c. IV. p. 376. seqq.

SECTIO POLEMICA.

QUÆSTIO I.

An in DEUM cadat Composi- tio ex materia & forma?

I. **C**onrado Vorstio sententiæ hujus assertio nullam
 in volvit absurditatem, qui, *Tertullianum* secutus,
 Deo corpus tribuere non erubuit; Et cum dul-

B 2

cius

cius ex ipso fonte bibantur à quæ, licitum erit *Vorstii* verba citare, quæ habentur in Tractat. de Deo, notis ad Disput. III. p. 185. Si vocabulum corporis in significatione latiore sumamus, nihil vetat, Deo etiam corpus adscribere, ut quidem *TERTULL.* lib. contra Praxeam aperte affirmat, Deum, licet Spiritus sit, nihilominus esse corpus, quum Spiritus etiam sui generis corpus sit in sua effigie, sic etiam *Augustinus* alicubi Spiritum sub corpore tanquam genus sub specie comprehendit. Et plerique Theologi, præsertim veteres, Angelos corporeos esse statuunt, quamvis Spiritus esse, non negent. Nec (II.) Error hic ab Anthropomorphitis antiquis alienus fuit, qui Deo membra cum partibus integrantes tribuere non sunt veriti. *Theodoretus* L. IV. c. 10. Antiquis hæc assensum dant *Recentiores*, in Italia suborti, qui Deo non humanam modò formam, sed humani quoque corporis partes adscripserunt III. *Gentiles* quidam ac *Judæi* hanc compositionem in Deo statuiffe feruntur. Sed *Vorstius* vel non intellexit, vel juxta pravum mentis habitum intelligere noluit, humanam auctoritatem, si Divinæ partes foveat adversas, nihil ponderis habere, sed Divinæ esse subordinandam. Præterea nemo nisi sanæ rationis expertus Deo *ἁπλοῦς* spectato, tanquam actui absolutè ac omnimodè purissimo materiam sive corpus adscribet. Nec tamèn *Tertulliani* & *Augustini* assertio suffragabitur *Vorstio*, si Deum *κατὰ ἄνθρωπον* impropriè & *ἁνθρωποεικῶς* corpus habere, dicunt, Essentiæ simplicitate nihilominus manente salvâ. Quemadmodum enim non ideo Deus est Simplicissimus, quia hic vel ille id dicit, sed quoniam in sua essentia talis est; Pari ratione non id circo Deus non habet corpus, quod à nobis negatur, sed quia re verà nō habet. Eodem telo ictus cætero-

terorum error corruet, cum esse actum purissimum, Spiritum, & tamen habere materiam, partes integrantes, contradictionem inferat. Vid. *Qvensted.* l. c. p. 307. *Deutschman.* Th. Pos. Pol. Disp. III. Tract. II. th. II. *Brochmand.* l. c. p. 122. *Scharff.* p. 198. l. c. *Klotz.* l. c. p. 247. *Meyer.* Pneum. Part. Gener. c. 4. Sect. III. Probl. I. p. 230. seqq.

QVÆSTIO II.

An DEO adscribi possit Compositio ex subjecto & accidente?

Affirmativæ subscribit *Vorstius* Tractatu de Deo, Notis ad disp. 3. p. 192, quando inquit: *Non sunt axiomata illa, vulgo pridem recepta simpliciter & omnimodo vera, In DEUM non cadere ullam diversitatem, aut compositionem, item, nullum omnino in DEO accidens esse, sed quidquid in eo est, DEUM ipsum esse.* & pag. 191. ibidem inquit: *In Deo est aliud & aliud, nempe subjectum & accidens: ita Decreta Dei sunt accidentia.* Idem effecit etiam *Crellius*, de Deo & Attr. Div. c. 32. fol. 348. qui pari ratione attributa Dei pro accidentibus habet. Nec defuit hujus quæstionis assertioni *Gilbertus Porretanus* Episc. Pictav: qui attributa Dei ceu accidentia à subjecto distincta esse, censet. Vide *Qvenstedium* l. c. p. 307. Si verò controversi-

am à Decretis Divinis illatam dextro inspiciamus oculo, unâ fortassis prolata distinctione eadem corruet, quando observabitur, aliud esse *Decretum ipsum*, κατ' ἑσῶ, *intrinsecè & in se consideratum*, aliud verò *Decreti objectum* sive *Decretum* κατ' ἕξῶ. *extrinsecè consideratum*; Priori modo nullam prorsus diversitatem inferunt, sed cum essentia idem sunt, cum unum decretum sine sui multiplicatione circa diversa objecta munus obire possit; Sicuti Sol unâ eademque virtute circa diversa objecta occupatus est, & unus in se manet, quando ceram liquefacit, lutum verò indurat, prout objecti natura se habet; Ita unum Dei decretum, quamvis circa objecta diversa munere suo perfungatur, nihilominus in se manet unum atque æternum, & accidentis naturam respuit. Posito autem, cadere in Deum accidentia, heu! Quot quantæque promanabunt absurditates? Si enim in DEO daretur aliud & aliud, subjectum sc. & accidens, sequeretur (1) Deum non esse ens per se, sed per accidens, quia substantia cum accidente ejusmodi ens constituit. (2) Deum in summa & absoluta perfectione adhuc aliam suscipere entitatem ac perfectionem, quia accidens substantiæ superadditum novam perfectionem in ea ponit. Deo autem tanquam summè perfecto nihil potest accidentium modo tribui. (3) Accidentia, quæ in Deum cadere perhibentur, aut esse creatum aut increatum habere, non hoc, quia contradictio oritur, quando aliquid increatum esse & tamen accidere dicitur; Præterea, si accidentia Deo ab Adversariis tributa habent esse increatum, sequitur, dari aliud adhuc æternum præter DEUM, quod ab eo realiter distinctum sit, quia accidens & substantia realiter inter se distinguuntur. Atque sic absurdum promanaret, quod sobriæ sanæque

sanæq; Philosophiæ vim inferret. Nec *illud*, quia omnia,
quæ in Deo sunt, æternitate ac immensâ infinitate gau-
dent. Exploditur ergo in Deo etiam hæc compositio.
Plura vide apud *Qvenstedium* Theolog. Consummatissi-
mum loco sæpius citato p. 296. seq. *Deutschman*. Theolog.
Dexterrimum, Theol. Pos. Pol. Tr. 11. disp. 3. th. 3. it. in
Not. ad Comp. Hutt. p. 199. seq. *Brochmand*. l. c. p. 123.
Klotz. Pneum. p. 169. seqq. *Scharff*. l. c. p. 191. seq. *Meyer* l.
c. p. 329. seq. *Henr. Velstenium* Centur. 1. Quæst. Philos.
disput. 7. Qu. 7. &c.

QVÆSTIO III.

Utrum Deo tribui possit ex es-
sencia & Existencia compositio?

Negativam fovemus, cum notum sit, Essentiam es-
se necessariam, Existenciam verò contingentem.
In Deum autem cum nulla cadat contingentia,
quippe quæ potentiam aliquando existendi infert, atq; à
Deo tanquam actu purissimo removeri debet, omninò
etiam exspirat illa compositio, quoniam neutra unquam
sine altera vel extitit, vel existere potuit. Vide *Klotz*. l.
c. p. 405. seqq. *Meyer* l. c. pag. 378. seqq.

QVÆSTIO IV.

An Logicam compositionem
ex Genere & Differentia admittat

Deus?

Quæstionis hujus assertores Vide apud Magnif.
nostrum *Qvenstedium* loco sæpius citato pag.
308. *Brochmandum* Syst. Theol. Tomo I. Arti-
culo

tulo III. de Deo Sect. IV. c. II. Quæst II. p. m. 109. B. Scharff.
Pneum. p. 154. seq. *M. yerum* Pneum. disp. IX. Sect. 1 1 1.
Probl. III. pag. 291. seqq. *Negativa* paucissimis stabilitur
(I) Quia Deus in nullo est prædicamento, quod probatur
ab Autoribus modo citatis d. l. nec non à Magnif. nostro
Deutschmanno Theol. Pos. Polem. Tr. II. Disp. II. th. 15. &
M. Nic. Bened. Pascha disputationibus duab. Elenct.
II. Quia Deus nec Genus, nec Species, nec Differentia nec
individuum est. Non prim. & tertium Deo competit,
quia si Deus esset Genus, sequeretur, Deum habere plures
sub se species, adeoque plures esse Deos. Genus & diffe-
rentia sunt partes essentielles speciem constituentes, De-
um verò esse alicujus rei partem, quis affirmabit? Exulant
proinde hæc duo membra. Quod Deus nec sit Species,
probatur, quia eidem speciei definitio nõ competit, quod
possit prædicari in quid de pluribus numero differenti-
bus. Negatâ autem definitione, negatur & definitum.
Quod deniq; nec individuum sit, patet, quia individuum
prædicamentale supra se habet speciem, quod de Deo ne-
gatur. Rejctis itaque bonæ & in rigore sic dictæ defini-
tionis requisitis, ipsa rejicitur definitio. (III) Probatum Ne-
gativa sententia *ex infinitate Dei* atq; *incomprehensibilitate*,
si enim Deus à nostro intellectu quidditative cognosci
nequit, nec à nobis poterit definiri, nam definitio totam
entis latitudinem exhaurire debet, quod de infinita Dei
essentia procedere nequit. Quare liquet, & defi-
nitionem Dei in rigore Logico conside-
ratam exulare.

SOLI DEO GLORIA!



85852

ULB Halle
005 363 56X

3



VD 77







... N. V. J.

UUM

LICISSI-

UM

Eruditorum Examin
sistunt

RÆSES

NES Dünnehaupt

arg. Saxo P. L. C.

mn. Elector,

ATQVE

ESPONDENS

INUS Sincel

mn. Misnicus,
h. & SS. Theol. Studios.

.Novembr. An. 1686. bor. mat.

DITORIO MINORI.

WITTENBERGÆ,

H ANNIS WILCKII.